

potius afflictis pœnitentibus verum afferre Evange-
lii solatium.

§. 25. Loquimur enim de electis, qui in pecca-
tis non perseverant, de fidelibus qui, vera fide in
Christum summo studio, ope & viribus Spiritus Sancti
peccata devitant; quibus hoc Evangelicum benefi-
cium adeo securitatis portam non pandit, ut potius
tanquam verè fideles incitet, quo vitâ piâ eodem sese
non reddant indignos. Afflictis verò mentibus &
tentatis summo hoc est solatio, quod sciunt, peccata
sibi remissa, revelanda non esse, & exaudiri preces,
quibus jugiter orant, *Ein frölich Urständ mir verley / am
jüngsten G'richt mein Fürsprech sey / und meiner Sünd
nicht mehr gedenc / auß Gnaden mir das Leben schenck /
wie du hast zugesaget mir / in deinem Wort / das trau ich dir /
Amen.*

COROLLARIUM.

Cantio est Ecclesiastica, *Wo soll ich stiehen hin ic.* qua pec-
cator pœnitens peccata fatetur, seque merito & sanguine
Christi solatur: est ejus cantionis strophæ nona; *Dein Blut
(Herz Jesu) der edle Safft / hat solche Stärck und Krafft /
daß auch ein Tröpflein kleine / die ganze Welt kan reine / ja gar
auß Teuffels Rachen / frey loß und ledig machen;* hæc, inquam,
strophæ si recte explicetur, nequaquam est blasphemia; nisi
fortè illis ita videatur, qui communicationem idiomatum
negant; negantque, sine tropo & permutatione nominum ve-
rum esse, quod dixit Paulus Act. 20. v. 28. *Quod DEUS proprio
suo sanguine redemit Ecclesiam;* Sic enim de sanguine Filii DEI
ratione valoris infiniti ex communicatione idiomatum consi-
derato, strophæ intellecta, sine ullâ blasphemia
admittitur, & piè canitur.

